

endum cum Apostolo, hoc ipsum tempus nostrum, extremam esse etatem, horamq<sup>3</sup> novissimam.

2. Thes. 1.

8. 2. Pet.

3. 1. &amp; 12.

32. De Qualitate huius Consummationis, Scriptura perspicue docet: Mundum hunc sub incendio flammæ sive Ignis transiturum.

33. Scholastici Doctores de Igne hoc Conflagrationis extrema satis pueriliter disputant: alii quidem statuentibus: Ignem illum fore elementarem, qui DEI jussu descensurus sit, atque omnia combusturus: alii verò somniantibus, Solis radios ex repercussione esse multiplicandos, ut ex illis omnia succendantur: quemadmodum fieri videmus, cum radij solares feriunt Specula ex chalybe, stuppam adnotam inflam-  
mari

34. Frivola ista & putida humani ingenij commenta, simpliciter repudiamus: & cum D. Augustino libenter fatemur, nos de illo igne conflagrationis, quisnam aut unde futurus sit, nihil quicquã nosse: credentes interim firmissimè, totum hoc universum igni transiturum. l. 20. de Civ. DEI c. 16, & 24.

35. Gravior verò & difficilior hoc loco oritur questio, Utrum nimirum transitus iste φθορᾷ corruptione, an ἀλλοιώσει alteratione sit definiendus? seu, quòd idem est. An Mundus κατ' ἔσιν secundum substantiam, an verò κατὰ ποιότητες secundum qualitates sit interiturus.

Neque